

72

D. D.  
DISPUTATIONUM MEDICARUM  
PRIMA,  
**MEDICINÆ  
PRÆCOGNITA**

Leviter delineans,  
Quam

*Ex Consensu & Adprobatione.*  
Amplissimæ Facultatis Medicæ  
in Reg. Academiâ Aboënsi,  
publico eruditorum examini submittit

P R A E S E S

**LAURENTIUS BRAUN**

Med. Doct. & Prof. Ord.

*Unaque tuebitur*

**DANIEL J. STECKSENIUS,**  
West: Bothn.

*In Auditorio Max. ad d. 27 Aprilis,*  
Anni 1695.

Impr. apud JOH. LAURENTII WALLIUM,  
Reg. Univ. Typogr.

*Pl. Reverendo atquē Clarissimo*

**DN. M. CHRISTIANO  
WALSTENIO,**

Præposito & Pastori in Wehmo  
longè meritissimo, Nutritio &  
studiorum meorum Promotori o-  
ptimo, submisâ reverentiâ ia-  
definenter colendo.

*Clarissimo Domino,*

**DN. NICOLAO FOR-  
ZELIO,**

Regii Lycei, quod Hernosand. est Ma-  
thesios Lectori celebratissimo, ejusdem  
Consistorii Assessori gravissimo, ut ante  
aliquot annos Præceptorи fidelissimo, ita  
nunc Evergetæ & Promotori sem-  
per multumque suspiciendo.

**A**udacie licet notam vix effugerim, qvod  
gravissima Vestra negotia, Promoto-  
res Optimi, interpellate sustineam,  
attamen erigit me, qvod tam vasto sitis ani-  
mo, ut iis curandis abundè sufficiatis, tamq;  
placido, ut bonis literis mirum in modum  
delectemini; Ideoqe spero Evergetas Opti-  
mos hocce meum propositum non penitus  
improbaturos neðum damnaturos esse. Cer-  
tè beneficia Tua, Reverende Dn. Preposito,  
postqvam provinciam Filios Tuos informan-  
di mibi demandasti, longè maxima, Tuaque,  
*Clarissime Dn. Leþtor,* qvæ à teneris sub fide-  
lissima Tua informatione abunde expertus sum,  
exiterunt mihi satis prægnantes causæ, ob  
qvas Specimen hocce Academicum Nominis  
bus Vestris inscriberem. Accipite ergo, Mæ-  
cenates Magni, eà facilitate, qvà maxima in  
me semper contulisti, gratissimæ mentis te-  
stimonium, qvo etiam Vobis ulterius me com-  
mendatum submissè eo, qvi ad extremum usq;  
qve virtæ halitum durabo.

*Pl. Reverende Tnae Dignitati*

*Clarissimijs Dn. Leþtoris.*

Cultor humilimus

DANIEL STECKSENUS.

Ehreborne / Högtvälachtade och  
Wälbetrodde

Her ÆGIDIUS OTTO,  
Befallningzman öfwer Luhleå/ Pi-  
theå/ Uhmaå och Ängermanlandz  
Lappmarken/ min Högtåhra-  
de Her Morsader.

**G**m iag stull' begynnna / räckna/  
Eller på stort Papper täckna /  
De Wällgårningar försan /  
Som iag altijd har chrfahrit /  
Den rjd iag hoos Eder warit /  
Vlitir försvar / iag det ej kan.  
Zack saint Minne doch ae wtsa /  
Då iag dem ej nog kan prisa /  
Vill iag slåss beslita mig;  
Ehe nu detta Wärck iag gifver /  
Och i ödmjukheet tillskrifver /  
Önskar cher hoos innerlig /  
Englat hans i åldren båre  
Ehr på Händer/ och granc wåre  
Från ale onde och Farligheet /  
Til des GUD räck; Ehr försättia  
Ifrån denna Verldens Flåttia /  
Til en ewig Rosigheet.

D. STECKSENIUS.



Vod atrium & vestibulum  
ædibus nostris, id Medicinae  
sunt ejus præcognita.  
Nam ut nemo, nisi per a-  
trium adveniens, ædificium ejusve  
partes & distinctiones, ritè perlustra-  
bit, sed omnia confusè intuebitur; nec  
nisi qvi per vestibulum intrat, legitimâ  
via intrasse dicetur, nedum regularem  
ad interiora sibi pollicebitur aditum,  
sed vel gradum omnino fistet, vel huc  
illuc errabundus vagabitur: Sic nemo  
facram Apollinis ædem, Medicinam,  
intraturus, nisi regiâ & solenni via,  
per ejus præcognita illam adeat, claram  
ejus Ideam, distinctione cognitionem,  
multo minus felicem ad sacra ejus my-  
steria accessum sperabit, sed semper  
in obscuro & confuso hærebit, quo-  
modo ex occurrentibus tricis se se ex-  
tricabit, nescius. Proinde in gratiam  
eorum, qvi studio Medico hisce in oris  
se se applicuere, vel applicabunt, nostra-  
rum existimavimus esse partium, par-

vum aliquod Medicinæ atrium & vestibulum delineare seu brevem præcognitorum ejus sciagraphiam dare, & ad aram Æsculapii suspendere; ut sic visis heic scitu maximè neceſſariis, via ster- natur prolixiores accuratioresque de hisce adeundi & consulendi.

## §. II.

Primum itaque quod ad *præcognita* in Medicina spectat, ejus est *origo*, quam non tantum Christiani, sed & ipsi gentiles DEO immortali acceptam ferunt. Quemadmodum verò gentiles ad id fastigium homines sæpè extulerunt, ita etiam ex hypothesi illorum Apollo Medicinam invenisse, Æsculapius eandem amplificasse perhibentur. Qibus quidem suam non denegamus laudem, Interim veram & primam ejus originem à DEO vero, omnis boni largitore optimo arcessimus, qui miserae humani generis conditione motus, nobis contra hostes nostros, morbos, largo fœnore prospexit. *DELLIS creavit Medicum & de terra Medicamenta, Vir prudens autem non contemnit illa. Eccles. 38.*

§.

Qvod ad *natalem locum* pertinet, salutatur quidem communiter Ægyptus non tantum pro aliarum scientiarum & artium conditorio & patria, sed & ipsius Medicinæ & Chymiae fonte; unde verò Ægyptii suam habuere sapientiam, passim in sua *Atlantica* docet antiquitatum Atlas *O.L. Rudbeck.* nihilominus tamen nisi velimus hoc loco præcipue exultam medicinam intelligere, non debemus hic subsistere, sed longius multo illam illiusq; originem revocare. Scilicet, ut durum illud temum *necessitas*, illustri & nobilissimæ huic Arti occasionem dedit; ita ab ipso mundi ortu, statim post lapsum protoplasmorum, à qvo tanquam ex eqvo Trojano omnis nostra miseria cum impetu quasi & violentia erupit, exerceri incpta est. Nam post fætuel implantatam naturæ humanæ sui ipsius conservationem unusquisque in individuo saltem fuit sollicitus corpori suo, sive à bestiis, sive ab intrinseco humorum vi-

tio, sive ab hostili manu impetito & vulnerato succurere. Hinc itaque sensim nata experimenta, hinc juvantia & nocentia notata, hinc aliæ plures remedia inveniendi datæ occasiones.

### §. IV.

Et sic patet primi ævi Medicinam statim perfectionis gradum non attigisse, sed prout aliis magnis rebus id commune est, rudia tantum initia habuisse. Fundamenta enim ejus prima jecit simplicium herbarum, earumque tantum traumaticarum cognitio, in quibus infantia quasi Medicinæ statuitur: Adeo ut prisorum illorum Medicorum, non tantum Ægyptiorum, sed & Græcorum Æsculapii ejusque filiorum Podalirii & Machaonis scientia ultra vulnerum curationem provecta vix fuerit, sed quod opem ferro tantum & medicamentis tulerint, teste ex *Homero*, *Celso in proœm.* Quæ eorum remedia ut ut simplicia & rudia scriptis tamen notata fuerunt vel alio modo ad posteros propagata. Unde & res successu temporis

poris eo devenit, ut tabulas votivas ægri  
sanitati restituti in templis Deorum Æ-  
sculapii, Minervæ &c. qvibus vota fece-  
rant, suspenderent, in iisque morbum  
& remedia accuratè inscriberent, Et  
hinc occasio nata est *Plinio*, *Varroni* &c.  
dicendi de Hippocrate, illum easdem  
tabulas collegisse & in artis formam re-  
degisse. Qvod tamen citra fundamen-  
tum, ne dicam falso, dictum esse, plus  
satis scripta ejus testantur.

## §. V.

Inventis itaque & constitutis pro  
more seculi, ad vulgares morbos, re-  
mediis, sensim magis magisq; crescere,  
â certisque auctoribus excoli cœpit  
Ars. Qvod eo felicius successit, qvod  
non unus omnibus fuerit attentus, sed  
partita qvasi opera apud Ægyptios  
præcipue teste *Herodoto*, singulis mor-  
bis singuli præfecti fuerint Medici. Un-  
de non potuit non Ars ipsa per crebri-  
ora experimenta statuminari, breviqe  
majorem certitudinem & splendorem  
acquirere.

Verum aucto sic Medicorum numero  
 in diversas, prout omni capiti non i-  
 dem est sensus, itum est curandi vias,  
 diversæque enatæ sunt scholæ seu *Sectæ*.  
**H**arum prima & antiquissima erat *Em-  
 pirica*, ab usu & experientia quâ illius  
 Magistri erant contenti, ita dicta. Qvod  
 tamen non ita intelligendum, quasi si-  
 gna diagnostica causasque procatarcti-  
 cas, ætatem, tempora anni reliquaque  
 naturalia, non naturalia & præterna-  
 turalia dicta neglexerint, nam hæcce  
 illos probe observasse, ex *Celsi* l.c. col-  
 ligi potest; Sed qvod ad causas conti-  
 nentes, abditas minusque obvias suam  
 Medicinam non extenderint, naturam  
 incomprehensibilem, ob eamque cau-  
 sam ejus scutinium ad Medicinam non  
 pertinere perhibentes. Qvo ipso ab Em-  
 piricis nostri seculi *Beenhasar*/*Owacksal-  
 ware*/*Markffriare*/*Matlungare* dictis,  
 differebant, his ipsis non tantum sub-  
 tiliores, sed & evidentes causas cum  
 syndrome Symptomatum susque deque-  
 ha-

habentibus, & utriusque sexui, omniæ tati, omni tempore, omnia indiscriminatim propinantibus, sicque cum Sutore Æsopico populum fallentibus, experimenta sæpius per mortes faciendo & impiùnè proh! occidendo. Qvo non obstante, non pauci, iiq̄ non infimæ fortis, vitam iis committunt, sed justo tandem dolore & serâ penitentiâ. Auctor vero Empiricorum veterum existimat tur fuisse *Acron Agrigentinus*, qvem *Philinus, Serapio, Apollonius, Glaucias* & aliquanto post *Heraclides Tarentinus* aliique non pauci sunt secuti. Fontes illis erant *œnōpia, historia & analogismus* de qvibus videsis *Wedel. Physiol. med. p. 4.*

### §. VII.

Ut autem laudem non mediocrem merebatur Schola hæc Empirica, qvod inventis & observatis Artem medicam ornaverit, sicque qvæ à posteriori nacta erat medicamenta, aliis fideliter applicando fundamentum ad Medicinam posuerit; ita defectus qvoqve suos habuit insignes, fallaxqve & imperfecta fuit:  
Par-

Partim in eo, qvod parum vel nihil de fabrica corporis humani usuqve partium fuerit sollicita: Partim etiam in eo qvod Rationem, firmissimum Medicinæ fulcrum, tam parvi fecerit, qvo orbata non poruit non claudicare. Nam non valet: Vomitu laborat, E. Stomachicum dandum: Vertigo adest, ergo Cephalicum, qvod tamen officiosi faciunt Empirici; Sed male, nam circumstantiæ variant rem, qvarum imperfæctas cognitionem & in sufficientem enumerationem fidus non seqvi potest effectus.

### §. VIII.

Huic itaqve mancæ & mutilæ merito successit *Dogmatica* seu rationalis secta, cuius Auctor fuit *Hippocrates Cous*, discipulus, ut quidam credidere, Democriti, vir & arte & facundia insignis. Qui non contentus fallaci & imperfecta Empiria, id intendebat, ut inveniret aliquid eorum, quæ nondum inventa sunt, quod ipsum notum quam occultum esse præstet, & semiperfecta ad finem perduceret, ut verba ejus sunt

funt lib. de Arte c. i. Divinum hunc  
 Senem secutus est *Diocles*, *Caristius*, *Pra-*  
*xagoras*, *Chrysippus*, *Herophilus*, *Erasistrat-*  
*tus*, & tandem, sexcentis scilicet annis  
 post, *Galenus Pergamenus*, qvi licet non  
 raro ab antesignani sui statutis & pla-  
 citis abierit, asiatico tamen & diffuso  
 suo genere scribendi non parum scripta  
 ejus illustravit, adeo ut lecta hæcce *Ga-*  
*lenica* etiam appellata fuerit. Diffe-  
 rentia vero inter Empiricos & Dogma-  
 ticos, in eo tantum erat, ut materiali,  
 experientiæ, aliud superinduxerint for-  
 male, rationem, illam hâc, ex Anato-  
 mia & usu partium desumptâ, stabili-  
 endo. Unde rudem illam & indige-  
 stam quasi Medicinæ Empiricæ molem  
 in artis formam certasqve regulas,  
 morborum vero remediorumqve far-  
 raginem in certas classes & genera re-  
 ducebant ordineqve omnia tradebant.

### §. IX.

Verissimum licet fuerit illud Hippo-  
 cratis S. i. aph. i. ὁ Βίος Θεατὴς, οὐ δε  
 τίχη μακρὴ, non dubitavere tamen ali-

qui caput erigere illudque effatum falsi  
quasi evincere, dum Sectam Hippocra-  
ticam prolixitatis accusaverunt, tem-  
pusq; tot ambagibus causarum signo-  
rumque inutiliter teri existimaverunt,  
citius & felicius se per compendia ire  
posse autumantes. Hinc nova iterum  
orta est Schola seu *Secta* à methodo sua  
*Methodica* dicta. Cujus primus artifex  
erat *Asclepiades* cum suo discipulo *Themis-  
fone*, ( de quo *Jubinalis Sat.* 10.

*Quod Themison agros autumno occiderit uno.)*  
quos fecutus est illustris ille Metho-  
dicus *Thessalus*, qui eo usque arro-  
gantiæ processit, ut artem Medicam  
sex mensibus addisci posse clamaverit.  
Hi dicentes corpus humanum atomis  
constare, statuebant sanitatem consiste-  
re in Symmetria pororum, morbum  
vero in eorum ametria: adeo ut quam-  
diu nec in laxitate, nec in adstringione  
delinquerent pori, sanus esset homo; se-  
cus autem cum in aliqua harum qua-  
litatum excessus esset vel defectus. Un-  
de rejecta experientia omissisque parti-

cu-

eularibus, tria tantum axiomata universalia & indicationes formabant. 1. Omne adstrictum esse laxandum. 2. Omne laxum esse adstringendum. 3. In mixto illi occurrendum, quod magis urget. Vid. d. L. Cl. Vedel. Quæ si per omnia vera essent, non opus esset sex mensibus pro Medico faciendo, sed fungi instar una tantum nocte nasceretur.

## §. X.

Quid autem de principiis hujus Scientiæ sentiendum sit, facile patet, illa scilicet multis parastangis imperfectiora esse, quam vel ipsius Empiricæ principia. Idque tam ratione classium morborum, quæ nimis angustæ sunt, quam ut omnes sub se comprehendant morbos: nam plurimi sunt morbi, qui nec in laxitate nec adstrictione consistunt; quam ratione curationis, quatenus in laxitate non statim licet adstringere, ut patet in omni fluxu critico, quin & aliquando in symptomatico, nec in stritura solvere & aperire, ut patet in variolis & morbillis, ubi si methodicus, ut

Empirici, etiam hodie graffante hoc morbo, id intendunt, laxare velit, facilimo negotio ægrum ad plures ire faciet. Tam infirmo itaqve talo cum steterit hæc Secta, diu durare non potuit, sed fere cum ipsis suis fundatoribus finita est, Dogmatica semper stan- te & ubivis palmam retinente.

### §. XI.

Sic pax & qvies per multa in Medicina fuit secula, nec ulla lis vel controversia oriunda videbatur, donec in Germania qvarta tandem enata est *Secta, Paracelsica dicta, Hermetica, Spagyrica, Chymica*. Inter qvam & Galenicam tantum excitatum est dissidium, ut una alteri communiter opponatur & contradistin-  
gvatur. Primicerius recentioris hujus Sectæ Author dicitur *Theophrastus Paracelsus* ex Helvetia oriundus, alias ab *Hohenheim* dictus. Qui Medicinam una cum Philosophia ultimis post Arabes seculis in miseranda esse caligine, me-  
rasqve tunc regnare authoritates & mo-  
nachorum commentaria, potius com-  
mune-

menta, nec unquam fieri ad veritatem  
indagandam experimenta videns, in Re-  
formatorem sese primus erexit, & sum-  
ptu Philosopandi libertate, Pyrotec-  
chniæ studio sese applicuit, idque ad-  
eo felicitèr, ut solidiora jecerit funda-  
menta arti illi, quam jam demum to-  
tus ferè amplexus est medicorum cho-  
rus. Non tamen putandum est Para-  
celsum simpliciter primum hanc Se-  
ctam incepisse, sed tantum præ omni-  
bus illustrasse & confusa antea illius do-  
gmata in artis formam redegit: Nam  
ut nihil dicam de monacho *Bafilio Va-*  
*lentino, Arnoldo de villa nova, Raimundo*  
*Lullio &c.* De quibus *Conring: Med. Herm.*  
ipsi Ægyptii, & inter illos præcipue  
*Hermes Trismegistus*, cuius *Tabula cir-*  
*cumfertur Smaragdina*, illam tempore  
Mosis in Ægypto exercuisse dicitur.  
Unde & ipsum *Mosen* arte Spagyrica haud  
leviter tinctum volunt. Cujus rei in-  
signe reliquisse videtur documentum,  
in vitulo aureo calcinando seu pulve-  
risando. *Exod. 32.* Sic etiam *Coum* (de  
qvo

QVO sibi quasi gratulatur Secta hæcce) eadem instructum fuisse apparet, dum Inest in homine, inquit, & amarum & sal-  
sum & dulce & acidum & acerbum &c. I-  
tem non calidum est, non frigidum, non sic-  
cum non humidum, neque aliud quid ex his,  
quod magnopere hominem ledit, sed priora  
illa dicta, & infinita alia omnigenas facul-  
tates habentia copiamque & robur. lib. d.  
Vet: med. S. 24.

## §. XII.

Principiorum Chymicorum alia sunt  
essentialia, eaque activa vel passiva, seu  
utilia vel inutilia; posteriora sunt *Aqua*  
& *Terra*, h. e. phlegma & caput mor-  
tuum. Priora vero sunt *Sal*, *Sulphur*, &  
*Mercurius*, non, prout sibi imaginatur  
vulgaris, vulgaria illa, quæ principiata  
sunt, sed ita dicta ob similitudinem &  
analogiam rerum, cum quibus habent  
convenientiam. Qvod enim ardet, est  
*Sulphur*, quod fumat, *mercurius*, quod  
relinquitur cinerum, *Sal* est, inquit *Pa-*  
*racels*. lib. i. *Paramir*. c. 2. Principia hæc-  
ce variè dividuntur, præcipue tamen  
&

& accurate in *fixum*, ut terra, *volatile*,  
 ut sulphur & mercurius, & *media* ut  
 aqua & sal. Sal dicitur chymicè omne  
 quod lingvam ferit. Hujus maxima est  
 dignitas ut reliqvorum principiorum  
 matrix, primū fundamentale appelleatur.  
 Maximaqve latitudo, adeo quidem ut  
 sulphur illuc referre illudqve acidum  
 nominare quibusdam placeat; Unde va-  
 riæ Salium divisiones & distributiones.  
 Nobis sufficit ratione Subjecti quidem  
 in *vegetabile*, *animale* & *minerales*. Ratio-  
 ne vero affectionum in *volatile* & *fixum*.  
 Hoc in igne perdurat, plus minus, il-  
 lud non, *Fixum* iterum vel *alcali*, idqve  
 vel *propriè* tale, ut omne elixiviatum,  
 incineratione factum, quod καὶ ἔχοντι  
 Sal dicitur, ut Sal absinthii, Card. be-  
 ned. stipit. fab. quæ dicuntur salia fal-  
 sa. &c. vel *impropriè* tale, ut oculi can-  
 cri, Corn. Cerv. conchæ reliquaq abfor-  
 bentia dicta; vel *acidum*, quale in nitro;  
 vitriolo, alumine &c. Quæ inter se quo-  
 que interdum repugnant, ut vitriolum  
 & nitrum secum ebulliunt & aquam  
 for-

fortem constituant: A quibus medium  
quasi habent naturam salia 'acido - salsa  
eaque vel *naturalia*, ut omnia salia ter-  
ræ & maris, vel *artificialia*, ut tartar.  
Vitriol. arcan. tartar. quæ etiam *Salia*  
dicuntur *enixa* h. e. in novum quasi Ens  
arte mutata: *Zweiſer. append. ad animad.*  
*Volatile* elicitur primò ex animalibus eo-  
rumque partibus, & dicitur *Salsum urin-  
osum*, ut ex langvine & urina huma-  
na, Corn. Cerv. viper. formic. è quibus  
frustra quæritur *Sal fixum*. Hoc vo-  
latile dicitur etiam *alcalicum*, verum  
impropriè ( quemadmodum id quoque  
de absorbentibus diximus ) & ob a-  
nalogram tantum seu confinem effe-  
ctum, quem cum Salibus alcalibus pro-  
priè dictis habent, repugnantiam nem-  
pe cum acidis: Hoc enim sensu omne  
id dicitur alcali, alcalinum vel alcali-  
cum, quod resistit & effervescit cum  
acido, quod his est contrarium: Hac  
tamen cum differentia quod *alcalicum*  
contrariatur acidis activè, impetum in  
illa tanquam fixiora vi sua elastiça &

rarefactiva faciendo, *Alcalinum* vero magis passivè, tantum impetum acidorum sustinendo. *Just. Vest.* in *Coll. Chym. Cram.* Secundo producitur etiam sal volat. ex herbis idqve singulari modo, qvem monstravit Iæpè laudatus *Vedel.* peculiari de ea re tractat. Ulterius dividitur Sal in *manifestum*, de qvo hactenus, & *occultum*, in aqua simplici & aliis insipidis, qvæ hisce pugilibus saepe non carent.

### §. XIII.

Per *Sulphur* non intellectum volunt Chymici vulgare illud, pinguedo vel adeps terræ dictum, sed aliquid illi analogum, qvod inflammabilitate, odore & colore in triplici regno se prodit. Distingvitur communiter, in *purum* & *impurum*, illud naturæ amicum, hoc inimicum, ideoque vomitum movens, prout tale non raro in antimon. diaph. minus bene detonato, sicqve pro sudore vomitum ciendo nos fallente occurrit: in *implicitum* magis & *explicitum*:

in volatile & fixum, prout fixissimum est  
in auro: In crassum graveolens, & subtile  
graveolens, qvæ distinctiones hic suffi-  
cere possunt.

## §. XIV.

Qvod vero ad *Mercurium* attinet, res  
altioris est indaginis, Auctorum qui-  
busdam, qvid eo propriè denotarunt  
veteres, se plane ignorare patentibus,  
*Sennert* consens. & diffens. c. II. plurimis  
saltem dubitantibus. Triplex alias sta-  
tuitur Mercurius *Mineralis*, *Cœlestis* &  
*Chymicus*, qui ultimus hujus est loci.  
Hunc cum accuratioribus Scholæ Chy-  
micæ Doctoribus præcipue in particu-  
lis uniuscujusque rei maxime volatili-  
bus, fugacibus subtilibusqve ponere  
non dubitamus. Quo modo intellectus  
mercurius recte dicitur esse principi-  
orum activorum maxime activum,  
causa omnis actionis in nostro aliisque  
corporibus, ubivis sese cum reliquis  
principiis miscens, nunquam solus exi-  
stens, sed cum sulphure colores & o-  
dores, cum sale faciens sapores.

## §. XV.

## §. X V.

Ex hisce itaque tanquam constitutis corpora constitui communiter volunt Chymici in illaque resolvi. Consideranda tamen veniunt in duplicitate, vel quatenus *mixta componunt* vel quatenus inde *separata*. In quo diverso statu diversam omnino habent faciem. Nam adhuc a maximi nominis viris non tantum dubitatur, num salia haecce volatilia & que ac fixa, talia herbis aliisque subjectis inextiterint, qualia putrefactione aut incineratione apparent, sed & negatur. *Vid. Excell. D. Bohn. de putref. & Vedel. cit. tract. de fal. Vol. plant.* Quam tamen controversiam optimè conciliari posse existimamus distinctione inter materialiter & formaliter inesse, falso reliquisque principiis priori tantum, non posteriori, inexistentibus modo.

## §. XVI.

Sunt & Chymicis alia principia cognoscendi dicta, quae consistunt in analogia

gia macrocosmi & microcosmi. Hinc  
 regulæ: quicquid est in macrocosmo, est in  
 microcosmo homine scil: Quod est superius,  
 est sicut inferius. & si quæ plures. Un-  
 de ortum suum habet triplex illa con-  
 ventionia quam prætendunt inter pla-  
 netas, metalla & corporis nostri mem-  
 bra conseqventerque illorum morbos:  
 Sic sol cum auro & corde, Luna cum  
 argento & cerebro, Mars cum ferro &  
 hepate, Jupiter cum stanno & pulmo-  
 nibus, Venus cum Cupro & renibus  
 partibusq; genitalibus, Saturnus cum  
 plumbo & liene, Mercurius cum ar-  
 gento vivo & humoribus lymphaticis  
 corporis nostri analogiam habere di-  
 cuntur. *Vid. Lemm. Cours de Chym. p. 49.*  
 Et hinc est quod quidam morbi dicti  
 sunt Saturnini, quidam Martiales, alii Ve-  
 nerei, &c. quilibet sua habentes speci-  
 fica. *Therapeuticum Chymicorum prin-*  
*cipium olim videbatur consistere in*  
*curatione per similia; Similia enim*  
*dixere similibus curantur.* Quatenus multi  
 si non plurimi eorum, præcipue Para-

cel-

*celfus & per ignem Philosophus Helmontius solum corporis nostri Archæum confortant, qvo fortiore reddito, omnia peregrina cœconomiam turbantia repellentur, tandemque ægri restituentur.*

## §. XVII.

Speciali hac hypothesi missâ & relictâ, qvid alias secta hæcce circa morborum curationem valet, valeatque modo recte utentem nanciscatur, nobis vel tacentibus, satis superque patet. Scilicet, non tantum non esse illam illiusq; præsidia noxia, venenata, damnofa, prout multi præjudiciis occupati judicant, sed contra esse illa tutissima, gratissima maximæque sub minima mole activitatis, qvibus, si alias unqvam, citò, tutò & jucundè medicinam facere poterit medicus. Qvæ qvi ignorat, miser est, qvi odit miserior. Qvo ipso tamen nihil Galenicæ derogatum volumus. Cui ut multa debemus, sic suus semper constabit honos.

## §. XVIII.

Propius itaque ad rem ipsam devol-  
 mur & Medicinæ talem damus defini-  
 tionem. *Medicina est ars, quantum possi-  
 ble, hominis sanitatem præsentem conser-  
 vandi; amissione vero restituendi.* Medicina  
 à medendo dicta cum propriè artem  
 servandi ægros iisque auxiliandi signi-  
 ficat, propriè etiam & primario soli  
*Therapeuticæ* tanquam primò inventæ &  
 maximè necessariæ tribuitur; additâ  
 vero etiam ea parte, quæ præsentem  
 sanitatem conservat, toti arti attribu-  
 enda est hæc appellatio. *Ars* est quia  
 finem habet cum cæteris artibus com-  
 munem. Quo ipso non denegamus illi  
 suam scientiam: Nam sua habet prin-  
 cipia scientifica, æternæ & immutabilia,  
 quibus superstrueta est; suas quoque  
 habet demonstrationes firmas tam co-  
 gnoscendi, quam curandi ( hinc aliqui  
 etiam eam per scientiam definitam vo-  
 luere ) quas si non haberet utique sce-  
 ptica esset, quod contra experientiæ est  
 fidem.

Fidem. Interim tamen quandoquidem  
in hâc scientia gradum non sifit, sed  
ulterius progreditur & aliquid opera-  
tur, citra quam operationem cassa ha-  
benda, Ars est, seu habitus cum rectâ  
ratione effectivus, à scientia plane dif-  
ferens & distincta.

## §. XIX.

*Subiectum Medicinæ* est corpus affe-  
ctum cognoscendum. *Corpus* non cuiusq[ue]  
sed hominis, utpote cura Medici in-  
digum & dignius. Indigum, ob mille  
morbos, quibus vetitus poti esus nos  
reddidit obnoxios. Dignius: eqvo-  
rum scilicet vel plantarum corporibus,  
quorum ista ad Veterinariam, hæc ad  
horticulturam pertinent, ut habet b. m.  
Præceptor olim noster desideratissimus,  
nunquam non gratissima memoria no-  
minandus *D. D. Hoffwenius in Isagog. med.*  
§. 5. Loco formalis addimus affectum:  
non enim subjetat medico corpus hu-  
manum quam naturale & mixtum, sed  
quam affectum & sanabile. Sanat vero  
jam

jam sola Natura, ut sit in coctione & suppuratione humorum: jam solus medicus, in luxationum restitutione: jam ambo simul, ut in reliquis. *cognoscendum* diximus: nam subjectum medicinæ est corpus humanum tam ratione *considerationis*, quatenus Medicus circa corporis affectus versans, scire necesse habet, an quod tractare satagit corpus sit affectum; at hoc scire nequit, nisi ante sciat quid sit affectum esse; sed ne hoc quidem scire potest, nisi prius sciat quid sit integrum esse corpus: quam ratione *operationis*, quippe huic solum applicat remedia, huic auxiliatur, huic medetur.

### §. XX.

*Finis Medicinæ in genere* est prospicer de salute hominis, in specie statuitur duplex, *internus* curatio & medicatio, cui omnia necessaria impendit, & *externus*, qui est sanitas, quæ prima est in intentione, ultima in executione. Sunt quoque alii fines, verum accidentales &

& secundarii, ut vita, decor corporis, divitiæ, fama, qvi tamen minus sunt considerationis medicæ. Neque obstat quod sæpe spe sua excidat Medicus, nec principalis ille finis interatur: nam imperium Medici non est monarchicum, sed aristocraticum, cum natura, ægro & morbo divisum, qvorum uno vel altero vacillante, qvæ sua sunt non faciente, sibive nimis indulgendo, non nisi re desperatâ & per circumforaneum sæpe deperditâ, Medicum tandem vocante, non' potest non suo fine frustrari. Interim tamen factis, à parte Medici qvæ artis præcepta, à parte ægri, qvæ morbus & Medicus fieri jubent, sæpius finem conseqvitur, vel perfecte in morbis curabilibus, naturaqve fortiore, vel imperfectè & palliative saltem in morbis gravioribus naturaq; debiliore existente, merito itaq; in definitione, *quantum possibile addimus.*

## §. XXI.

*Media ad hunc finem ducentia, qvæque Medicus ad sanitatem inducendam*

D

im-

impedit, sunt *naturalia* id est, omnia illa quæ naturaliter & causis de natura libus sanitatem conservare & restabili re possunt. Sub quibus etiam curas comprehendimus *magneticas*, quæ subtiliores paulò, quod sensibus interdum minus pateant, crassius philosophanti bus magicæ salutantur, cum tamen Sphæram naturæ non transcendent, de quibus videri potest elegans & curiosa disputatio de *Magnetismis rerum, nobis*. *Dn. Er. Odbelii.* Excludimus vero hinc superstitiones, magicas, characte risticas, diabolicas curas, & si quæ aliae sunt non naturales, inter quas, ut causam, & sanitatem, ut effectum, cum nulla omnino intercedat cohærentia vel analogia, nihil etiam ex illis adhibitis vel applicatis sperari nedum obtineri potest.

### §. XXII.

*Divisio Medicinæ rectè à Fine & Mediis ad eum ducentibus sumitur. Finis erat sanitas, Medium cognitio sufficiens,*

ens, ad quæ duo omnia in medicina sunt referenda. Unde aliæ (1) sunt partes *Theoretice* aliæ *Practice*, seu aliæ ad cognitionem, aliæ ad curationem faciunt. Dicitur vero una pars theorica non quidem absolutè, sed respectivè & ad alteram comparata. (2) Aliæ sunt *principes* quæ & primæ & maximæ dicuntur, aliæ *ministre* seu minus *principes*. *Practice principes* & *essentialis* sunt duæ, à dupli sanitatis & morborum consideratione, aut enim morbus præservandus aut abigendus & curandus, illud præstat *ymen* hoc *delegatus*.

### §. XXIII.

*Hygieine* seu methodus tuendæ sanitatis, corpus in sano statu conservat, idque accuratâ vietus observatione. Per vietum autem intelliguntur sex res *naturales* dictæ: aër, cibus, & potus, somnus & vigiliae, motus & quies, excreta & retenta, animiqve pathemata, quorum abusu, vel errore in aliquo ho-

rum commisso, varii propullulant morbi. Jure itaque tam multi solliciti erant de præceptis diæteticis dandis, inter quos numeratur *Schola Salernitana*, quæ ideo suo merito publicè præterito anno explicuimus. Ad hanc etiam partem pertinent Sanitatis illa præsidia, quibus tanquam polycrestis & catholice utimur, pro confortando vel præservando, idque vere præcipue & autumno, vel alio etiam tempore, dato quasi à natura signo: qualia sunt venæ *Seccio*, purgatio, vomitoria, balnea &c. Adhuc enim est homo ~~in~~ <sup>ad</sup> ~~negotiorum~~ suisq; interesse potest negotiis, quod interfatum & ægrum h. e. inter operam hygieines & therapeutices limitem constituit.

## §. XXIV.

Quamprimum scilicet homo clinicus factus est, teriasque sibi facere cogitur, ad *Regem* *Ulnam* confugit, quæ per methodum medendi *generalem* & *Specialem* quid morbo opponendum inquirit, Symptoma-

mata lenit, nihilque eorum omittit, quæ ullo modo ad sanitatem inducendam facere posse videntur. Est vero Methodus Medendi Ars inveniendi & rite usurpandi remedia reparande ac restituende Valetudini amissæ maxime necessaria. Fr. Sylv. M. M. c. I.

### §. XXV.

Ministræ partes sunt quæ his dictis inserviunt, aptaque illis suggestunt media tum cognoscendi, tum curandi. Curationem respiciunt tres illi remediorum fontes, Chirurgia, Pharmacia & Dietæ ex quibus præsidia sua depromit therapeutica, idque varie pro variantibus circumstantiis, quatenus vel victum vel medicamenta, vel manualem operationem indicant.

### §. XXVI.

Partes ministræ ad cognitionem tres itidem numerantur, Physiologia, Pathologia, Semeiotica. Physiologia corpus humanum in statu sano, h. e. secundum na-

turam considerat. In confederationem scilicet tam totius quam partium, earumque solidarum, humidarum, spirituosalium inqvirit, usumque earum elicet, mutationum actionumq; omnium rationem & causam proponit. Quæ omnia septem illis rebus *naturalibus* di-  
ctis includebant veteres; qualia sunt Elementa, humores, temperamenta, partes, facultates, actiones, Spiritus. Ob-  
servandum heic discrimen inter Physiologiam *Physicam* & Medicam non esse in materiali, quod unum idemque in ambabus est, sed in formali seu τοπον ομοιωσις h. e. considerandi modo, quantum Medicus hæc omnia non simpli-  
citer, prout Physicus, sed ut ad finem ducentia speculatur.

### §. XXVII.

*Pathologia* idem corpus humanum in statu morbido seu præternaturali tractat. Quæ consideratio tribus ferè ab-  
solvitur, morbo, causa morbi & Sympto-  
matibus.

### §. XXVIII.

## §. XXVIII.

*Semejotica* utriusque prædicti status tam secundum, quam præter naturam signa suppeditat, eaque *diagnostica* seu *pathognomonica*, & *prognostica*, quantumq; morbi à statu naturali declinant, monstrat.

## §. XXIX.

Atque sic in octo partes essentiales Medicinam divisimus, haud ignari eam etiam alio aliis modo dividit. Hanc tamen divisionem tanquam rei adæquatam maximè & quasi naturalem eligimus inter alios *C. Sennertum* instit. c. 2. seqvuti. Præter has vero essentiales, etiam aliæ adhuc extraessentiales dicitæ, nominari solent, quas tamen, tanquam minus rem ipsam tangentes, hâc vice compendii causa omittimus.

CORO-

# COROLLARIA RESPONDENTIS.

Medicina est Ars indefinita.

Ut acida cum acidis, sic alcalia cum alcalicis effervescent.

Ignis adustis pondus addit.

Nulla Scientia certior quam quae per ignem comparatur.

Omnis nostra sanitas in vi elastică spirituum consistit.

Febrium intermittentium sporadicarum primam causam in spiritibus, potius quam in humoribus hærere vero est simile.

Cortex de Peru non tam vi sua ſtiptica vel amaricante, quam alexipharmacæ & antidotifica febres fugat.

Ibi apertum acidum & alcali, ibi effervescentia, non contraria.

Ignis multa è corporibus elicuntur, quæ illis non insunt.

Optimus Theoreticus optimus Practicus.

## AD JUVENEM

*Eruditione & humanitate commendatissimum,  
Dn. DANIELEM STECKSENIUM  
Amicum & Patriotam honoratissimum.*

**O**I τῆς παιδείας ἐπιθυμῶντος ὕστερον τῇ δόξῃ εὐφικέστατη μνημεῖαι, ην δὲ αὐτὸν πᾶς ἀνὴρ ἔχαλεψει, ὅταν τοῖς τὰς τῶν Φαύλων διανοίας μιμημένοις δόθη τὸ καὶ συλλαβεῖσαντι, δόθη ὁ καιρὸς συναγωνίζεσθαι τὰ ἔγχαιρά πολιτικὰ ἀνῆντα βεργεῖ καρόντα διαλύεσθαι. Πάντες όντες Φιλοσοφῶντες καλὸν ἔργον ἐπιχειρεῖσθαι, ὅπου γέτω τὸν βίον ὄικονομῶσιν, οὐαὶ πλέοντας παρεχόμενατος ἀεὶ ἐπελέψωσθαι. Μόνοι γένοιτο τῆς γνησίως ἀρετῆς, καὶ ἐπάντι ἐτύμως ἐπιλαμβάνοντες τυγχάνοντο. Οὔτω καὶ σὺ κρέπιδε κύριε πατερῶτα τὸ περιγματά σα ωφέλησος, πᾶσαν θετοδήν, καὶ μελέτην, καὶ πόνου ποιεῖ γράμμασιν ἀναλώσεις. Τοι γαρ τὸν δὲ Θεὸν τῷ παντὸς ἀγαθῷ καὶ παιδείας σωτηρίᾳ ἀινού ἀιώνα ωσπερ καλῶς, πρέπει γέτω καὶ ἐπιηδεύματά σα διατελέσης, εἰς τὴν τῆς ἐκκλησίας, καὶ παῖδείας ωφέλειαν πολλὴν, τῶν δὲ Φίλων δόξαν, τῆς δὲ Μηδός σα ἐπιφανεστῆς ἡδοιὴν πρεξμυθίαν! ἔρρωσθαι!!!

*amicō animo scripsit  
CLEMENS THELAU.S.*

*Præstantissimo & Pereximio,*

DN. DANIELI STECKSENIO,  
Conterraneo & amico proba-  
tissimo.

**A**rdua qvi promptè qværit fasti-  
gia Pindi

Heic superare, feret plurima  
acerba sibi.

Sic Tua, STECKSENI solers,  
matura juventus  
Casibus haud raro pressa fuit  
variis.

Gratulor nunc ideo natus Tibi Sym-  
patriota,

Insuper & voveo præmia di-  
gna metas.

*Festinante calamo sed sincera  
mente applausit*

**OLAUS P. ARCTÆDIUS,**  
W. Both.

Tur-

Turgida s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> pati fastidia sacra co-  
lentes  
Pieridum, s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> & patulis heic auribus  
hausi,  
Quod non in bellis tinxerunt sangvine  
palmam,  
Nec nisi nomine reddantur, non omne  
clari.  
Eludant, fas sit, qv<sup>i</sup> vix â limine Musis  
Unq<sup>v</sup>am pro solito largam dixere fa-  
lutem;  
Ast manet assidue Musarum castra se-  
cutos  
Gloria perlustrans expansi climata  
mundi.  
Hæc, jam dum scandis Præceptor doce  
Cathedram.  
Materiamque novam defendis voce po-  
litâ,  
Hæc, inq<sup>v</sup>am, Momi monstras Te te-  
mñere vota,  
Insuper ad laudem rapido contendere  
cursu.  
Ex animo voveo Te dirigat aura se-  
cunda!

Sit

Sit medium facile & cedant Heliconis  
Alumno  
Austus magnanimi donec Mors lumina  
claudit.

Sic Praeceptor i suo carissime gra-  
tulari voluit

JOACHIMUS C. WALSTENIUS,

